

C. 118



- 1 Vehiculum aetate <sup>contata</sup> Francisci Hilcheshenji Eiusd. Conone  
 2 Foggij Ad Aeterna IC Coenata iuvenilia. Mopien  
 3 Balthasaris Exneri Arminii Miscel: Sijlloge  
 4 Eiusdem Decemina  
 5 Thome Moravij Scotj Naupachados Jac: Magni Britannia  
 6 De origine & progressu juris <sup>Regis etc:</sup> Civitatis Joannes  
 Laüterbachij  
 7 Georgij Bartholdij Pontanij Triumpho Podagiae  
 8 Richardij Schultij Forojulianje Theochanis  
 9 Eiusdem Christiana Camera  
 10 Matthiae Funck Halno viensis Triumpho Christiano  
 11 Eiusdem Primitia Arminium in Genethlium salu  
 tiferam Virginis Mariae. in alijs: ibid.  
 12 Hieronimi Galoi Poetae Grammatica  
 13 Isaacj Casaubonij Descriptio, in scripturis Veteris Graecae  
 14 Georgij Ludovicj Armen Genethlium <sup>in alijs: Hertz</sup>  
 15 Stanislaw de Crzedelitz <sup>Ranzovij</sup> Armen. De vita & fato  
 Sivi Martini.  
 16 Amici & conuictores ad Hams laum de Crzedelitz  
 17 Marcj Hassaj Havelb. Etajrehaor  
 18 Amicj ad Joannem Gebauerum <sup>RP</sup> valedicentem.

Q 3. 108 (1-48)

R





AD  
*Literatissimum & Præstantissimum*  
VIRUM,  
DN.

IOANNEM  
GEBAVVERUM REICHEN-  
BACHENSEM SILESIVM, I. V.  
CANDIDATUM,

&  
Sacrae Cæsar. Majest. *auctoritate*

Notarium Publicum,  
MARCHIÆ,

quam  
*Et Francofurti in Electoris Academiâ,*  
*Et Berolini in Distelmejeri Bibliothecâ,*  
*ferè per octennium habitavit,*  
*valedicentem*

VOTA ET ENCOMIA.

*Non gravare laudes nostras audire debemus.*  
l. 7. in pr. ff. de off. Proconf. & legat.

Typis ANDREAE EICHORNS.



(Ca 1607)

*On. M. Nisaeo mittit*



DN.

JOANNI GEBAVVERO.

PRÆMIA VIRTUTI DEBENTUR, PA-  
TRIA SOLVET,  
PATRIA NISOLVIT, SLESIA TOTA  
DABIT.

GEBAVVERE, PRECOR, FELICI TRAMI-  
TE CURRAS,  
FELICI SISTAS TRAMITE, FATA  
DABUNT.

Suo per triennium domestico,  
cū post officia liberaliter  
præstita discederet in Pa-  
triam, faciebat

CHRISTIAN DISTEL-  
MEIER Eques Marchicus, in  
Malsdorff & Radesleben heredita-  
rius, illustrissimi Principis IOAN-  
NIS GEORGII & c. Electoris  
Brandenburgensis p. m. Can-  
cellarius.

AD



AD  
Politissimi ingenij  
virum-juvenem  
DN.  
JOANNEM GEBAVV-  
ERUM SIL., Poetam, & Notarium  
Cæs.

**E**Xcipe jam reducem, quem pridem patria JANUM  
Misi mentem excultum; at non accipe solum:  
SUADA hunc eloquio comitatur: APOLLO venusto  
Carminè: at ingenio SOPHIE benè culta sagaci:  
Et legum tabulis ASTRÆA: favete sodali  
Tot Divùm, proceres patria, patrij, penates.  
Scilicet ex SOPHIÆ latebris spirabilis ardor  
Erumpit PHOEBI ac SUADÆ: sapientiam amena  
Nutrit Musa: Jstis Respublica fulta columnis  
Stat: modò cunctorum sapiens sit norma JHOVA:  
Quem comitemq; ducemq; tibi, cultissime JANE,  
Comprecor. On unquam in veri te intingere nectar,  
Rectumq; à curvis secernere desine! sic Tu  
Clarus eris PHOEBI mystes, THEMIDISq; patronus.

M. Caleb Trygophorus in  
Academiâ Francofurtanâ  
Logices Professor, & pro  
tempore Pro-Rector.

A 2

Ergo



ERgò abis? & tecum Musa, cycniq; nec ob-  
stet

Aut VIADER tacitis, vel SPREA murmu-  
ribus?

IANE mane, tecum Musa, cycniq; manebunt:  
Sin abis, ò Comites desere, solus abi.

Sic SPREA, sic VIADER poscit. sed abis, sed &  
illa,

Quæ sine te nolunt esse, nec his sine tu.

Felicem ò patriam, quam tu Comitesq; subibüt,  
Ob Comites certè gratior hospes eris.

Auguror, atq; Deos veneror, mi IANE, Viales,  
Acceptum faciant quolibet ire loco,

Tu tamen ò VIADRI nostri memor esto, SPRE-  
ÆQUE,

Undè tibi Comites in patriam Elysiam.

Quæ tibi vel Musa vel pangent carmina cycni,  
Huc redeant. absens sic quoq; noster eris.

Christophorus Pelargus D.  
& generalis Marchiæ  
Superattendens.

Scilicet

SCilicet hic finis studiorum, ubi longa viaj  
Tædia, & Aonij sunt exuperata labore  
Difficili montis juga, postmodò thyma tot annis  
Instar apum collecta domum referamus, & usus  
In patriæ rursùs didamus mente serenâ.  
Quod tibi quando seder, quis non te laudet, & ore  
Atq; animo faveat, præclara ad quæq; vel ultrò  
Tendenti? SOPHIAE tibi sunt arcana sagaci  
Iam pridem studio scrutata, imbuta liquenti  
Lingua favo EVEPIES, THEMIS ipsa labore perenni  
Culta, adytis cupidum te pridem admisit apertis.  
Ergò tibi reduci, & tot jam virtutibus aucto,  
Angulus arridet patriæ omnis, Curia plausus  
Ingeminat, vocemq; fori loca cuncta volutant.  
Perge bonis avibus, patriæ, cui visq; merenti  
Impertire lubens, quæ vel studio antè calenti  
Ad VIADRV M ex doctis, vel dudùm ex ore diserto.  
DISTELMEIERI præclara & multa patente  
Auriculâ atq; animis hausisti, ultroq; fatere,  
Quod facis, ex magno, rerum, vitæq; perito  
Te didicisse viro, quæ quis natisq;, suisq;  
Civibus ex optet, vitæq; usurpet in omni.  
Vive, vale, & patrios non uno ubi nomine felix.  
Ad colles in re vives benè lautâ, adamatum  
Te memor esto viris, quos ripa hæc nutrit, amicis.  
Et si nil aliud poteris, tamen usq; precare  
Fausa bonis, voto illorum Diis creditus ipsis.

Balthasar Camineus Phil. & J. U. D.  
Historiarum & Poeseos in Aca-  
demia Francofurtana Pro-  
fessor.

A 3

Tuta



---

**T**Utamen in patriam rursus te care referre  
GEBAVVERE paras: quamvis te MARCHIA nostra  
Sperabat civem multis praemillibus unum.  
Et tua non aliter merita, integritasq;, fidesq;,  
Et doctrina fuit, nulliq;, incognita virtus,  
Dum te BEROLINA tenet, solumq;, patronus  
DISTELMERUS amat. quem te vidisse patronum  
Numquam poeniteat, fama super aethera notum,  
Et qui perpetuum optabat sibi commensalem.  
Sed fortunatum! patria cuicumq;, beata  
In servire datum est, & rebus se eripere aula  
A primis annis: minus hic si lucri & honorum est,  
Et minus invidia est, quare ito & nostra referto  
Vota haec in patriam tecum, primamq;, salutem,  
Quam voveo pariterq; tibi, patriaeq;, perennem.

Samuel Scharlach Phil. & Medic. D.  
& Physices in Acad. Francof.  
Professor.

---

**Q**Ua DISTELMARIUM te cogit omittere, causam  
Judico praecipua pondus habere nota.  
Scilicet hoc Musis, hoc est valedicere Phæbo,  
Hoc est Elysium posse migrare nemus.  
Tu votum tamen affirmas: & amaricat omneis  
Divum hominumq;, domus patria delicias.  
Ante formosæ Venus urit in igne puella?  
An Themis alta novum spondet ab arte decus?  
Ista vel illa trahat, vel te simul utraq;: fas sit  
Aut utramq;, simul, alterutramvè sequi.

Certe

*Certè ubi vel Venus est, vel ubi Themis obvia tibi,  
Phœbus ibi & Musa est Elysiumq; nemus.  
Fergò: in medijs, JAN-GEBAVVERE, Silefis  
Tecum unà DISTEL-MARIUS esse potest.*

*VVittebergæ faciebam  
Fridericus Taubmanus Poet. & Pro-  
fessor, Collegij Philosophici pro  
tempore Decanus.*

---

*C*ur tibi non & ego benè comprecet hinc abeunti,  
GEBAVVERE? meos qui illustris es inter amicos:  
Cujus nota probè virtus, doctrinaq; cuius  
Explorata viris præstantibus atq; probata:  
Cujus & ORIGANUS meus omni tempore fautor  
Exitit. Is mecum nunc unà mente precatur,  
Ut, qui te primis clemens servavit ab annis,  
Atq; tibi præclara animi bona contulit, idem:  
Te velit amplecti porrò bonitate paternâ,  
Et dare, ut in patriam redeas leto omine, magnum  
Ex studijsq; tuis capiat Respublica fructum.

*M. Ioannes Scholserus Professor  
Rhetorices.*

---

*E*xterno patria ni fumus clarior igne  
Luceret, Clary, JANE, corona gregis:  
MARCHIA te promptè tenuisset nostra, tuisq;  
Optasset studijs non sine fruge frui.  
Nec te lugeret DISTELMEIERUS abisse,  
Musarum ille parens, atq; librorum heluo.  
Jam quia lux tanta est patria, ut dulcedine summa  
Te trahat, & totum vendicet ipsa sibi:

*Marchia.*



*MARCHIA* ei cedit, sibi grataturq̄, tuâ arte  
Quod spacio tanti temporis usa fuit.  
Nunc ergo patriam sospes pete, vise penates:  
Et natale iuva req̄, operaq̄, solum.  
Nam potes, ingenij magna est fœcundia, magna  
Copia doctrina, iudicijq̄, tui.  
Et quoniam potis es, debés quoq̄, velle. sed & vis.  
Optimus est patriam condecorare labor.  
Vade memor nostriq̄; & *ACHILLES* salveat à me,  
Cui non est icrus valdè morari animus.

M. Christophorus Neander Profes-  
sor Ethicus honoris & amoris  
causâ deproperabat.

---

**D**um repetis dulcem patriam, patria decus omne,  
*JANE*, tibi felix ecce precamur iter.  
*JANE*, Dei vivi cultor, jurisq̄, Sacerdos,  
Et Charitum Vates, deliciâq̄, Sophum,  
Salvus abi, summo Patre te comitante, per ævum  
A quo procedunt cuncta creata bona.  
Prosper abi, comitante Deo, qui dives in omnes,  
Rex regum, verus filius ipse Dei.  
Latus abi, comitante Patris te & Pneumate nati,  
Vade, precor, felix angelicoq̄, choro.  
Nil noceat *JANO* torvi, rogo, Dæmonis astus:  
Nil noceat suavi sedita sagitta viro.  
*JANE*, mei *JANI* firmum cor, certus amicus,  
Quicquid agis, nostri sis memor, atq̄, vale.

Berlini scribebam

M. Ioannes Crugerius Senior,  
Decanus.

*Pectora.*

---

**P**ectora sunt ipso iam Ponto turbidiora,  
Credere mihi, jam non Musa jocosa mea est:  
Dum spectant oculi officiosum semper-amicum,  
Hincq; movere libros, hincq; movere pedes.  
Nota mihi est animi constantia, candor amoris,  
Mens, Pietas, fama candida cura mea.  
Cur ergo haut doleam, quod disjungamur, Amice?  
Quod restet, tristi dicere voce, VALE?  
Sed patrios revidere lares sententia firma,  
Insculpta est animo fixa tenaxq; tuo.  
I pede inoffenso, faveant tibi sidera Olympi,  
Et grandi patriam laude revise domum.  
Quo-vis-cunq;, migres, clavo suffixa trabali  
Non alio poterit nostra migrare fides.

M. Ioachimus Nisæus Spandoa-  
Marchicus, Ecclesiastes Ni-  
colaitanus apud Beroli-  
nenses.

---

**Ο**ταν Ιωάννης Φίλεπισέ με αὐτε μενοιῖς  
Αρκτῆς πόλεως ἀπὸ μέλαθρα λιπέιν.  
Καὶ Φιλέτης πατρίδος σε ἰσχυροῖ, ἀνθεα μεσῶν  
Τόσ' αὐτῇ δῆναί ὅσα λαχέιν ἔτυχεν,  
Ἐυχομαῶς μέγαλοιο Θεῶ θεράποντες ἀγαυοί  
Ἐν τῇ λαοφῆρῳ σοί παρέωσιν ὁδῶ.  
Σῶον ἐς εὐκτίμενον γερσῶ πατρὸς οἶκον ἄγωσι  
Δαρόν ὅπῃ τελέθει Ζῆντε τελείντε βίον.  
Ἐρρωσ' οὖν γλυκερῶς ἢ πάντοσεν ἀεθμόν ἀεξε,  
ΓΟΙΖΙΟΝ ἔξ' αὐπὸς τόν σε Φιλῆντα Φιλεῖ.

M. Josephus Goezius Jegerndorfensis,  
Gymnasij Berlinensium Rector.

B

Cum



---

Cum tibi nunc animus, mi JANE, in amore fidelis,  
Linquere Berolini tecta superba, fiet,  
Et pietas moneat, patriam ut tot fructibus ornes,  
Quot Musas in te dona tulisse patet:  
Comprecor, ut fortes IOVÆ sanctiq; ministri,  
Assistant longa, mox qua ineunda, via,  
Teq; boni quondam bene structas Patris in ades.  
Ducant, dulce ubi sit vivere, dulce mori.  
Faustriter ergò vale, atq; bonorum acquire favorem,  
Undiq; quiq; te amat, tu quoq; GOEZIUM ama.  
Vertebat.  
G. Z. G. S.

---

JOANNES GEBAUER

ἀναγορευματικῶς

BONA NAVE GERIS.

Salve MUSARUM decus Aonidumq; sororum,  
Et dulcis patria gloria, IANÆ, tua:  
Namq; per immensi proficiscens aquoris undam,  
Incolumis tandem tecta paterna subis.  
Tecta paterna subis, & que meliora metallo  
Sunt quovis, velucritu BONA NAVE GERIS.  
Scilicet ingenuis studijs atq; arte refertum,  
Pectus, quo melius vix erit orbe bonum.  
Salve Musarum decus Aonidumq; sororum,  
Et patris & patria gloria, JANÆ, tua.  
Commensali suo.

M. Iacobus Bruvverus VVolgastensis  
Pomeranus S. S. Theologiæ  
Candidatus.

Tant.



**T**Andem cor incalescit  
 Feruentiore motu  
 Poetica palestra,  
 Et spiritus vegetat  
 Nervosiore fortis  
 Apollinaris aura.  
 Pax auribus modestis.  
 Hoc insolentiori  
 Sic aspicabor orsu.  
 Cujus sed incalescit  
 Amore cor citatum,  
 Et spiritus vegetat  
 Ardore suscitatus.  
 Sic forte sciscitaris?  
 Dicam tibi roganti.  
 Causamq; sciscitanti.  
 Sed ore liberali,  
 Sed mente liberali.  
 Non cuius acer olim,  
 (Quid namq; diffitebor?)  
 Amore detinebar  
 Amasie puella,  
 Et sponsula tenelle,  
 Lecti appetens jugalis.  
 Amore subjugato,  
 Meum cor incalescit.  
 Nec quo favore suevit.  
 Se vulgus osculari,  
 Pomposiore vulgus  
 Simulatione pollens.  
 Amore laevigato  
 Meum cor incalescit.  
 Juvenis sed optimatis,  
 Sed optimiq; vatis,  
 Quem Musa perpolavit,  
 Phœbusq; candidavit.  
 Amore singulari,  
 Amore liberali,  
 Meum cor incalescit.  
 Vix nomen indicari,  
 Quo sueverit vocari,  
 Vix hoc quit explicari,  
 Apteq; copulari.

Hac arctiore vocum  
 Serie minutularum.  
 Sit ipse Philomusus,  
 Bifrons sit ipse Janus,  
 Janusq; Philomusus  
 Propinquiore vocum  
 Connubio vocetur.  
 Nec nomen applicari  
 Huic dignius sit ullum.  
 Huic aptius sit ullum.  
 Janus pater vetustè,  
 Depingitur venustè,  
 Capitis bifronte vultu.  
 Plus scilicet cerèbri,  
 Plus artis & magistræ.  
 Sapientiæq; canæ.  
 Solidæq; discipline.  
 A sorte reliquorum,  
 Huic arrogabat olim.  
 Cordatior vetustas,  
 Quid ni quadrare possit  
 Idem tibi vocamen.  
 O JANE Philomuse,  
 O Philomuse JANE?  
 Et quod tibi vocamen  
 Hoc quadret, ipse Deli  
 Fatetur Imperator.  
 Musa fatentur omnes.  
 Boni fatentur omnes,  
 Fatentur hoc parentes.  
 Præsaga quos futuri  
 Mens impulit vigoris,  
 Ut editum puellum,  
 Te JANVLVM vocarent,  
 Et jure sic vocarunt,  
 Nam fronte plurimorum  
 Oculatiore præstas  
 Juvenum senumq; frontes.  
 Namq; elegantioris  
 Plus artis & leporis,  
 Plus masculi vigoris,  
 Virtutis & decoris,  
 Ergastulo cerebri  
 B z

Secre.



Secretiore condis,  
Quam triplicata virtus  
Animæ profanioris.  
Dic ergo Musa porro,  
Quæ tam beata tellus  
Hunc severit puellum,  
Hunc nobilem puellum,  
Hunc *FANVLVM* tenellum,  
Hunc Phebulumq; bellum?  
Sic namq; mi statutum,  
Audaciorè niju  
Versus Anacreontis,  
Animo lubentiorè,  
Calamo licentiorè,  
Poeticorq; more,  
Deprædicare laudes,  
Laudes sed æquiores,  
Nimiumq; nec tumentes,  
Tam musæi puelli,  
Tam nobilissq; vatis.  
Vrbs est amenitate,  
Famæq; claritate,  
Prælusis inter almae  
**SILESIÆ** sorores,  
Quam rivus æviter nat  
Opulentioris undæ,  
**CHRYSORRHŌEN** vocare.  
Quis æptiorè posset  
Collectione vocis?  
Hic faustiorè partu.  
Puer suave ridens,  
In lucis ivit auras  
Circumfluumq; magni  
Emblema vidit Orbis.  
Hic stemmatis recenset  
Integrioris ortum,  
Hic indolis prehendit  
Felicioris arham,  
Propensiorè nutu,  
Cælestium vagantum,  
Et faustiorè motu  
Natalium rotarum,  
Et mitiorè vultu  
Eatalium Dearum.

Credo (fidemq; firmat  
Eventus ipse rerum)  
Et Grætiæ & Horæ,  
Terriphæcesq; Divas,  
Florenti ire nexu  
Per mutuum ligatas,  
Plausisse nascituro  
Infantulo choreas.  
Trepidatq; sublevatum  
A matre, adhuc rubentem,  
Teneris tulisse palmis,  
Puerumq; lactitasse,  
Cremore lactis almo,  
Et pectus irrigasse  
Sacro liquoris imbre,  
Post reddidisse canis  
Trepidibus fovendum,  
Et ominosa fausti  
Cecinisse verba lalli,  
O millemunis ora,  
Quæ munus hoc novellum.  
Pebiusculumq; bellum,  
Sexusq; masculini  
Prolem beatiorè,  
Secretiorè profers.  
Sinus profunditate,  
Talis fuis e fertur  
Natalis ora Parris  
Novensilum Dearum,  
Odore Delius ingens  
Impleta sacrosancto,  
Cum Diva parturiret  
Titanis alma Phæbum,  
Tellus procul (stupendum!),  
Miraculosa risit,  
Et pontus ipse Nervi  
Gestivit albicantis,  
Et tu sereniori  
Fueras videnda vultu,  
Chrysorrhoe beata,  
Cum nasceretur olim  
Hic Delius puellus,  
Hic *FANVLVS* tenellus,  
Abi ne sed insolescas.

Talis

Tali superba nixu,  
Nec sola concupiscas  
Hanc gemmulam micantem  
Felicioꝝ ævi,  
Quamvis hiant fibrâ  
Cordis parentioris,  
Et supplicante vultu,  
Et obviante voto,  
Hunc accipis reversum  
E finibus remotis.  
Hoc contingit puello  
Natale rus tenello,  
Hic educationis  
Vim sentit austificatam,  
Primæq; discipline  
Rudimen inchoatum.  
Tristis inde tyro  
Clarata civitatis,  
Budorgicæ Lyceæ,  
Petit incitatore  
Alacritate mentis.  
Hic indolis vigorem  
Expromit altiore,  
Hic nigenijq; florem  
Prodit fragrantiore,  
Dum spiritu trabaci,  
Et corculo sagaci,  
Nisusq; pertinaci  
Et pennulâ sequaci  
Rimatur, osculatur,  
Poeticos hiquores,  
Et Musicos lepores,  
Parnasiosq; rores,  
Vos testor ô Senatus,  
Budorgici Lycei,  
Et te sacer Dynasta,  
SCVLTETE præsul urbis,  
Et te verende RECTOR,  
Fidei probatus Atlas,  
Et vos novem sorores,  
Gens inquilina Breslæ,  
Et te coæva pubes,  
Pare temperata scepro  
Quondam, supente Phebo.

Qui fervor occuparit  
Juvenis virile pectus.  
Surgam vel ipse restis,  
Postremus inter omnes,  
At forsan approbatus  
Assertionis auctor.  
Virumq; nam sodalem  
Sors copulavit olim.  
Vitaq; glutinavit  
Conjunctioris usus.  
Vidi (fatebor ultro  
Sed veriora vero)  
Puer ut calente fibrâ  
Tenellioris ævi,  
Captarit acer undas  
Permessidos fluenti,  
Mirantibus magistris,  
Socij; post relictis  
Spatioso campo.  
Sic nempe pullus ales  
Aquila, Jovis ministræ,  
Celsi theatra cæli  
Petit arduo volatu,  
Genij citatus aurâ.  
Sic acris & caballi  
Soboles Eleæ gestit,  
Ad pulveris procellas  
Fumantis excitatas,  
Virtutis iste primus  
Celestioris ardor,  
Gliscebatur aggregatim,  
Crescebat annuatim,  
Pubente donec ævo,  
Politiore cultus,  
Ephēbus artis usu,  
Animi trabente voto.  
Nec abnuente fato,  
Gravioris expetiscis  
Subselly cathedram,  
Cibumq; concupiscit  
Stomachi valentioris.  
Consultus ergo mentis  
Prudentioris, urget  
Pede Marchicas Athenas.

*Illas ameniores*  
*Apollinis Camenas,*  
*Vbi doctor ille caeles*  
*PELARGVS eminescit,*  
*PELARGVS ille sacre*  
*Deus eruditionis,*  
*PELARGVS entibeat*  
*Pater elocutionis,*  
*Quem suscipit Pelasga*  
*Peiubo, Latina Syren*  
*Miratur, obstupefcit*  
*Hebraea vis Camene.*  
*PELARGVS ille fragrans*  
*Flos Sanguinis Silefi,*  
*Et sempiterna fame*  
*Superfluitis loquela.*  
*Vbi candidus Prometheus,*  
*Sacre medulla Suade.*  
*VENCELIUS refingit*  
*Celestis igne verbi*  
*Hominum renata corda.*  
*Vbi Dædalus NEANDER,*  
*Suade nepos diserta,*  
*Doctæ severa publi,*  
*Precepta subministrat*  
*Morum beatiorum.*  
*Vbi corculum Minervæ,*  
*CALEBVS ille solers*  
*Logicæ dolator artis,*  
*Extricat involutos*  
*Sophismatum plicatûs,*  
*Planæq; monstrat usum*  
*Rationis expeditum.*  
*Vbi lumen illud aureum,*  
*Matheos, & ævi*  
*Nostratis Archimedes,*  
*ORIGANVS nitescit,*  
*Pluræq; prominentes*  
*Animare scit cathedras,*  
*Radio polaris artis.*  
*Vbi corda conspiciantur*  
*Tot erudita Phæbi,*  
*Quot carbassus papyri*  
*Vix arctior capessit.*

*Has Marchicas Athenas,*  
*Hæc inclutas Camenas,*  
*Ephæbus acer intrat.*  
*Sed acrior fatigat,*  
*Quinquennium, vel ultra*  
*His Marchicis Athenis,*  
*His inclutis Camenis,*  
*Damnavit omne robur*  
*Geniæ, pectorisq;*  
*Hic nomen indit almo*  
*Divæ Themistos albo*  
*Hic Delidis sacrarum*  
*Amanulos recessus,*  
*Mellitulos recessus,*  
*Penitissimos recessus,*  
*Frequentiore vixit*  
*Pede thyrsiger poeta.*  
*Hic ebibit sacratam*  
*Xyloæ perennis undam,*  
*Ad ima pænè fontis,*  
*Et inimos meatus,*  
*Vt scatebris amicum*  
*Numen suis timeret.*  
*Armatus inde thyrso*  
*Diviniore mentis,*  
*Animumq; perpolitius*  
*Gemmantiore cultû,*  
*Et purpurantior.*  
*Simul artium coronæ,*  
*Arctoa Marchionis*  
*Septemviri theatra*  
*Speltare gestit Aule,*  
*Speltanda (poli) curvis*  
*Qui Marchiæ Penates*  
*Fors inclutos salutat,*  
*Qui Marchiæ nitelas*  
*Vidisse vult videri,*  
*Vidisse vult haberi.*  
*Hæc non ad infimatum*  
*Se projicit latebras,*  
*Sed culmen optimatum,*  
*Et testâ prensat alti*  
*Fastigiata Circi*  
*Vbi Marchidos medulla,*

*Procerumq;*



Procerumq; flos, & aula  
Germana vis Dynastum,  
Glomerata prominescit,  
Et circulo triumphat.  
Vidit, probavit, illud  
Equestre lumen, illud  
Ithemidosq; numen, illud  
Charitumq; germen, ille  
Virtutis ampliator  
**DISTLMARIVS** patris  
Vidit, probavit, auxit  
Juvencem decore multo,  
Juvencem favore multo,  
Juvencemq; dote multa.  
Idemq; predicavit,  
**FAN-COPVS** ille sacri  
Comes inclutus Palati,  
**IAN-COPVS** ille princeps  
Patrie senator aula,  
**IAN-COPVS** ille censor  
Æquissimus laborum,  
Idemq; munerator  
Æquissimus laborum,  
Virtutis hinc brabeo,  
Spectabili brabeo,  
Venerabili brabeo  
Atalibus Brabeutis  
Honorus enitescit,  
Quin præmium tulisset  
Majusve digniusve,  
Repente ni migrasset  
Hos Marchie penates.  
**O IANE** Philomuse,  
**O** Philomuse, **IANE**,  
Fac intimo recondas  
Pectusculi sacello,  
Hoc munus invidendum,  
Hoc munus invidendum,  
Fac intimo recondas  
Pectusculi sacello,  
Nescis quid inde laudis  
Tibi germinet future,  
Nescis quid inde fructus  
Tibi pullulet futuri.

Virtutis hoc calore  
Nisusq; fortiore,  
Plures subinde pergas  
Tibi gemmulas parare,  
Fama nitentioris.  
Plures subinde pergas  
Tibi calculos parare  
Virum celebriorum,  
Et universa puncta  
Vatum potentiorum,  
Faventias & omnes,  
Lubentias & omnes.  
Sic te beet Deorum  
Rex Jupiter supremus,  
Plaususq; vota firment  
Cælestium Phalanges,  
Sic dotibus politum,  
Animiq; corporisq;  
Sic artium Smaragdis,  
Carbunculisq; morum,  
Quacumq; fulgurantem  
Te civicus senatus,  
Patrie q; tota pubes,  
Acceptet, inseratq;  
Adoptet, uniatq;  
Syntagmati suorum,  
Bonumq; te aluent,  
Domi forisq; civem,  
Bonosq; te fruantur,  
Domi forisq; civem,  
Id audiant nepotes,  
Id audiant, oventq;  
Complurimi nepotes,  
Et posterum nepotum,  
Prolesq; posterorum,  
Id urgeant nepotes,  
Id urgeant, amentq;  
Complurimi nepotes,  
Et posterum nepotum,  
Prolesq; posterorum,  
Vt Philomusa gens bæc  
Succrescat, in valescat,  
Vigescat, & veigescat,  
Fortescat & nitescat,

Et:



Et sempiterna fama  
Magmenta post relinquat,  
Vale, Vale, volag,  
Mei memor sodalis

Ad patrios penates,  
O IANE Philomuse,  
O Philomuse IANE.

Berolini.

Ab Henrico Zenckfrey Silesio,  
Phil. M. & P. C.

ECquid opus fuerat, mi GEBAVVERE, Silest  
Planta Solis, qualem non FLORA Silesia vidit  
Tempore multivago, quae rore rigata Themistos,  
Vbere Acersecomis animata virescit hymesto,  
Nectare dulcifluo Charitum satiata decentes  
Inferet Elysii flores cumulatius hortis:  
Ecquid opus fuerat, anima o dilecta, medullis  
Implantata meis, imisq; sepulta medullis:  
Te tam perplexis verborum ambagibus uti  
Dum venam hanc tenuem, quae tota est frigida, poscis  
Qua (si aliqua est saltem) sonitus tibi nuncupat omnes.  
Et discesum aliquo vellet maectare susurro,  
Discesu heu tristem, heu subitum, heu gravem, & insperatum:  
Si non ista foret multis quassata procellis,  
Quas Boreas in nos inimico gutture ructat,  
Quando Lipsiacam pestis mala turbitat urbem,  
Atq; gregem Phœbi variè dispergit, & ipsum  
Me facit hinc teneros alio transferre penates.  
Ne tamen indictum temet dimittat, hiulcas  
Nuncupat hic Musas, animi, quem noveris, arrhas.  
GEBAVVERE orbi nate applaudentibus astris,  
GEBAVVERE bonis grate, insertande Dynastis,  
GEBAVVERE mihi de amate & amande, quousquam  
Hac anima, effigies tua, se de amaverit ipsam,

Qua



Qui sic Eusebicus calcasti mente theatrum,  
 Non validos, calidos tamen ut solvisse potestis  
 Uncos haresium, Belialis facibus unctos;  
 Qui sic Eunomies linguaq; animoq; palastram  
 Trivisti, ut varios valeas dissolvere nodos,  
 Et legum antithetos rursum connectere textus;  
 Qui sic Philosophas gestas sub pectore gazas,  
 Ut nulla illarum tibi desit, at omnis abundet,  
 Omnis et ad placitum vires tibi monstret, & usum;  
 Qui sic in VIADRI, summâ cum laude, Lyceo  
 Volvisti varij sinuosa volumina scripti,  
 Ut tibi Penelopes habeas conglutine vinctos  
 Omnes, quos Clario nosti diademate cinctos;  
 Qui sic BERLINI vixisti, ut & omnibus omnem  
 Ad complectendum te moveris ipse salivam,  
 De quo Carneadis si quisquam febre laborat,  
 Ipse ego semideos confestim adduxero testes,  
 Testis erit nostra Phoenix celeberrimus ora,  
 Imò Marchiaca praeses dignissimus ara,  
 Omnis quem mundi miratur terra, PELARGUS;  
 Testis erit diva jubar, & tuba clara Themista;  
 Ambrosiam, & nectar rorans SETSERUS, in omni  
 Orbe celebratus, superum vectatus ad axem:  
 Testis erit sancta diadema Matheleos, ille  
 Corpore qui terras premit, ast genio incolit astra  
 ORIGANUS, nostra pars sincerissima triga.  
 Testis erit tandem locuples satis, ille Heroum  
 Maximus, ille Hector Patria telluris, & Atlas,  
 Qui sic omnigenis nomen transmisit in oras,  
 Ut Parnassicola solide sit cognitus omni,  
 DISTELMEIERUM signo, quem nulla tacebit  
 Aetas, doctorum si qua modò manserit atas:

C

Gebardere



GEBAVVERE amplo hoc decorate emblemate laudis,  
Quod meditaris iter, felix, faustumq; sit, illud  
Sit placidum, ad placitum tibi defluat, affluat omne,  
Dextrum, sed contra mox corruat omne sinistrum,  
Ito bene & Patria fortissima sito columna.

Vos verò interea cives, de divite rivo

Qui vestrum indepti quondam sat amabile nomen,  
Jam portas patulas facite, & removete quod obstat,  
Floribus omnigenis pregnantem obducite Vestam,  
Ut novus hic hospes, quem tot Pimpleides, almâ  
Cum Charitum trigâ vestram comitantur ad urbem,  
Pomposè, & sicut meruit, feliciter intret,

Quilibet exceptum praclaro mactet honore,  
Quo dudum hic dignus animus generosus honore.

Ast tu perpetuò cordis quem gesto latebris,

Quemq; mihi nunquam fors, sit durissima quamvis,  
Eximet, ô anima mea amanda anima, ô cor amicum,

GEBAVVERE, tua celsissima gloria stirpis;

Dum vivis, fac me totum in te vivere, rursus

Dum vivo, faciam, te in memet vivere; vah quam

Praclara & dulcis talis mihi vita cluebit!

Sed me discessus turbat tuus, & trepidantem

Exanimat calamum: verba hac postrema relinquo:

Det Deus, ut cernam te sospes, sospes ut à te

Cernar ego; si non fiet mortalibus orbis

Terreni in castris, præcellis fiat in astris!

Ex animo verè amico

et fraterno, tibi unice dilecte

Jane, lubens quidem, sed lugens  
plangebam hac paucula inter turbas.

Lipsiæ d. 2. Augusti Anno 1607.

T. ad feretrum

M. Joan. Crugerius Berlinensis Junior,

Roet. L. C.



PRæstans Thespiadum decus,  
GEBAVVERE, tenax cultor Apollinis,  
Lauru, non sine honoribus,  
Quam præbet glomeratam Polyhymnia  
Divis juncta Sororibus,  
Advelanda sacrâ sunt tua tempora.  
Limasti studijs vigil  
Mentem sollicitis, jura tenaciter  
Urgendo manibus sacra;  
Te vatem Casius, JANE, Diespiter  
Finxit, te sobolem vocant  
Nymphæ Castalides, Marchia quas fo-  
Hinc jam numinis alite. [vet.  
Divini patriam tendis ad inclytam,  
Nobis semper erit tui  
Post desiderium, Curaq; sat gravis;  
Isthæc præcipuum decus  
Gentis Teutonicæ gestijt ordine  
Primo ponere te, choros  
Doctorum ut vigeas inter amabiles.  
O quæis in patrijs datur,  
Felices, laribus prodere munera

C. 2

Mentis



Mentis multiscia, poli  
Sic quis scandit ovans sydereas plagas.  
Illic, JANE Deus reget  
Te, mentisq; teget dimidium mea.  
Ergo lætus abi, vige,  
Perfiste incolumis; jugiter hoc precor.

*Commensali suo scribebat*

*M. Jacobus VVernicheus Ruppinensis  
Marchicus.*

---

**T**Ene Poetarum nostri pars maxima secli,  
GEBAUVERE, indictum patiar discedere? tantum  
Dii prohibete nefas! Sed enim tantummodò tanti  
Ipse ego sim, dignum te qui quid dicere possim.  
Possim, non possim, mens est tamen edere mentis  
Symbola germana, germani signa favoris.  
Ecquis enim possit tibi non favisse? quis ille est?  
Tàm chari capitis qui dememinisse valeat,  
Nec potius toto totum complexus amore  
Ardeat aeternum, sternumq; arsisse praoptet?  
Scilicet ista merent propriae virtutis honestas,  
Et bonitas genij, ingenij subtilis acumen,  
Recta frontis honos, & qua non explico, sed qua  
Novi, & noverunt, qui quidquam noscere possunt.  
Hinc te Fama suis & Laus laudata veredis  
Et vehit, & vexit, quin est vectura deinceps  
Altius. ODERIDES MUSÆ vos testor, & ô vos  
Testor Calliope! novistis singula, tantum  
Sit narrare labor. Hinc laudatissimus ipse

*Lauda-*

Laudasti multos non citra laudis honorem,  
Et se laudatos non citra laudis honorem  
Senferunt multi, Tantum nempè instar in illà  
Laude viget, profert quam vir laudabilis ipse.

Ecquis in hac adeò regione alienus? & ecquis  
Longinquis etiam fiet in regionibus? idem  
Ut non notum habeat, quales in carmine quovis  
Et Veneres & alas Charites: miratus APOLLO  
Sapè est ingenij dotes, mirataq; PALLAS.

Ista & plura istis te reddunt omnibus optatum,  
Ista & plura istis mihi te junxere, quid autem?  
An tu quàm procul es, mihi non jungere? profecto  
Jungere intimiùs Vates GBÄVVERE; Bearchus  
Ille DEUS tibi fortunet vitamq; viamque,  
Quam gradiere brevi: te servet is, orbis & urbis  
Ut viguisse diù possis patria incrementum.

## In effigiem.

Vidit ut effigiem GBÄVVERI Phœbus Apollo,  
Dixit, ave patria culte Poeta tua!  
Vidit ut effigiem GBÄVVERI Astraa, repenti  
Dixit, ave juris gloria, juris honos!  
Legiferum Eunomie quem dicit, Apollo Poetam,  
Ille Poeta bonus, Legifer ille bonus.

M. Ioannes Guntherus Olsna-Silesius  
in illustri Bregeo Docentium  
Collega,

---

Gaude iterum gaude dulcissima Slesidos ora,  
Jamdudum multis anteferenda locis,

C 2

Sen

Seu spectes claros bello, armorumq, potentes,  
Seu virtute graves, artis honore simul,  
Quos antehac partu crebro & felice dedisti,  
Das & adhuc, hora postveniente dabis,  
Si modo, qui cælum & terrarum temperat orbem,  
Tempora venturis posteriora dabit:

JAN-GEBAUERUM donis virtutis  
onusum,

Moribus ingenuis, accipis en reducem,  
Accipis en reducem Musarum nectare pastum,  
Phœbi delicijs, ambrosia Themidos,  
Præstantes quoscunq, viros, & docta Lycæa  
Solers dum coleret sedula ad instar apis,  
Jam vir ut hic valeat sibi met prodesse suisq,  
Ac rebus patriæ prosper adesse suæ.  
Gaude igitur gaude dulcissima Slesidos ora,  
Jam dudum multis anteferenda locis!

Honoris, benevolentia & re-  
cordationis gratia scri-  
bebam.

M. Justus V Vernerus  
SiL,

Huma

Humanissimo & Doctissimo

Viro, DN.

JOANNI GEBAVV-

ERO, Poetæ elegantis. Not. Pub. &

J. U. Candidato S.

*Aen. 12.* **H**ei mihi ubiq; pavor & plurima mortis imago.  
*Aen. 2.* Nam magis atq; magis Vatum prædicta priorum  
*Aen. 1.* Apparent, ac uumq; meum mortalibus ægris,  
*Aen. 2.* Hoc relecto referens: *muris iterum imminet hostis,*  
*Aen. 11.* Agmen agens equitum, & fulgentes ære cateruas,  
*Aen. 3.* Clamorem immensum tollit: jubet Jocyus omnes  
*Aen. 10.* iussa aliena pati, & portas præbere patentem.  
*Aen. 9.* Quin etiam minus miseris multoq; tremendum  
*Aen. 2.* Objicitur magis, ah! media inter prælia belli  
*Aen. 3.* *Pestis & ira Deum,* quæ Sol utrumq; recurrens  
*Aen. 7.* aspicit Oceanum, sinuosa volumina versat.  
*Ecl. 3.* Triste malum, quo non aliud velocius ullum.  
*Aen. 12.* In medias acies audet se credere pugnae:  
*Aen. 5.* Audet adire virum, & cæco contendere Marte.  
*Aen. 4.* Illa dolum dirumq; nefas, tristesq; ruinas  
*Aen. 4.* Ergo ubi concepit furias, mortemq; minatur  
*Aen. 1.* Exemplò: pressa est insignis gloria facti  
*Aen. 6.* Hujus in adventu, dat fortia pectora letho.  
*Aen. 7.* Pestiferas aperit fauces, opera omnia rumpit:  
*Aen. 5.* Nulli visa citò decurrit tramite recto  
*Geor. 3.* Aera per vacuum, montes & flumina tranat.  
*Aen. 4.* Quando animus meminisse horret luctuq; refugit.  
*Aen. 6.* *Causa mali tanti præscæ vestigia fraudis.*  
*Aen. 4.* Nam quid dissimulo jam? audite o mentibus æquis!  
*Aen. 3.* Audite o proceres! quæ me ad majora referuo?

*Aen. 2.*  
*Aen. 4.*  
*Aen. 12.*  
*Aen. 10.*  
*Aen. 8.*  
*Aen. 5.*  
*Aen. 9.*  
*Aen. 2.*  
*Aen. 11.*  
*Aen. 7.*  
*Aen. 11.*  
*Aen. 4.*  
*Aen. 5.*  
*Aen. 9.*  
*Aen. 1.*  
*Aen. 11.*  
*Aen. 12.*  
*Aen. 12.*  
*Aen. 8.*  
*Geor. 3.*  
*Aen. 2.*  
*Ecl. 4.*  
*Aen. 9.*  
*Aen. 4.*

Flent

Aen. 11.	Flent moesti, mussantq; patres, & vulgus inermum;	Aen. 12.
Aen. 12.	Invalidiq; senes, pueriq; parentibus orbi.	Aen. 11.
Aen. 10.	Omnipotens genitor, magni regnator olympi	Aen. 10.
Aen. 12.	Respice reâ belli varias, sortisq; futuræ:	Aen. 10.
Aen. 1.	Auspice nos tantum, precibus inspicere nostris.	Aen. 12.
Aen. 4.	Eia in te suprema salus, miserere tuorum:	Aen. 12.
Aen. 6.	Da populum antiqua sub religione tueri.	Aen. 2.
Geor. 2.	Quid majora sequar? liceat tua dicere facta,	Ecl. 8.
Aen. 4.	[Jane ô!] rumpe moras. Nam quæ tam sera morantur	Aen. 2.
Aen. 1.	Tempore jam ex illo nunc facta silentia linguis?	Aen. 11.
Ecl. 4.	Tu responsa potes Consultus reddere Vates,	Aen. 3.
Ecl. 1.	Nobis consilijs habitus non futilis auctor.	Aen. 11.
Ecl. 4.	Tu decus omne tuis, postquam tibi venit Apollo	Ecl. 10.
Aen. 6.	Quod te carminibus vincet nec Thracius Orpheus	Ecl. 4.
Geor. 1.	Quamvis & Rhodope mirctur, & Ismarus Orphea	Ecl. 6.
Geor. 4.	Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.	Geor. 4.
Aen. 7.	Multaq; præterea memoranda inventa Magistri	Geor. 4.
Aen. 12.	Sunt tibi, jam totum famâ vulgata per orbem	Aen. 1.
Aen. 8.	Artis opisq; tuæ. Quæ te tam læta tulerunt	Aen. 1.
Aen. 1.	Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?	Aen. 1.
Aen. 9.	Mene igitur socium tot jam labentibus horis	Aen. 2.
Aen. 3.	Deseris? heu! folijsq; notas; & nomina manda	Aen. 3.
Ecl. 10.	Iam mihi, & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.	Aen. 10.
Aen. 11.	O dolor? ah! solum te in tanta pericula mittam?	Aen. 9.
Aen. 5.	Nunc quoq; mens eadem perstat mihi, cura peculi	Ecl. 1.
Aen. 11.	Cedat amicitia, da, non indebita posco.	Aen. 6.
Aen. 5.	Cede DEO: scelerum poenas expendimus omnes.	Aen. 11.
Aen. 3.	Iungemus dextras; unum & commune periculum	Aen. 2.
Aen. 2.	Vna salus ambobus erit. Timor omnis abesto.	Aen. 11.
Ecl. 5.	Tu decus omne tuis, si quid præsentius audes	Aen. 12.
Aen. 12.	Perge, decet. Non unquam te labor iste gravabit.	Aen. 2.
Aen. 6.	Vincit amor patria: tibi iussa capescere fas est.	Aen. 1.
Aen. 10.	Fata viam invenient; miseros meliora sequentur	Aen. 12.
Aen. 2.	Quo res cunq; cadent, meliorem concipe curam.	Aen. 11.
Aen. 3.	Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.	Aen. 1.

Tu

Aen. 2. Tu modò promissis maneat, quæ maxima semper. Aen. 3.

Aen. 11. Vnum etiã donis istis (nunc ipsi vocat res,) Aen. 9.

Aen. 11. Adjicias: Non te ullius violentia vincat. Aen. 11.

Amoris ergò scribeb.

M. Ioannes-Georgius Ficlerus. Dresd.  
Misnicus.

---

**O**mnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usq;  
Auroram, pauci ritè sequenda petunt.  
Pars arti magicæ indulgent, pars potibus amplis,  
Pars inhiant vetitis lusibus atq; jocis.  
Maxima pars Veneri, rarissima quæq; Mineræ,  
Quæ docet & mores, & pia facta sequi.  
O hominum studium, quantum est in rebus inane!  
Cum fallant Bacchus, cæca libido, Venus,  
In manibus vobis pluris cur passer aduncis,  
Quàm quæ strimonia grus venit acta lacu?  
Cur vitam externas vestram perducitis oras?  
Si non est animus linquere luxuriam?  
Cur varios hominum vultis cognoscere mores,  
Si vigili lime crimina nulla datis?  
Asi tu, qui duros casus virtutis amore  
Vicisti, hæc spernis, cunctaq; vana putas.  
Dum tua cura fuit Sophiæ penetralia scire  
Doctæ, quam doctus tradit Aristoteles:  
Nec minor ac illam, quæ tecum sidera scandit,  
Quâ tibi, quâq; tuis imperitare potes.

D

Dum

Dum tua cura fuit stipare Platona Menandro,  
Et ius Pontificum subdere Casareo.  
Singula quid referam, nequeo describere versu,  
Que tibi Castalides dona dedere Deæ.  
I nunc, & grata patriæ, dulcedine cunctas  
Que superant terras, mænia grata pete.  
Da Deus alme, cui tanta est clementia mentis,  
Quantus in humanum nunc genus exstat amor,  
Ut nihil ad versu, nihil experiatur amari,  
Nestoreos vivens absq; dolore dies.

Ex animo scribebam

M. Ioachimus Thuringius Brande-  
burgensis Marchicus.

---

**M** Archiacum né solum linques & clara lycæa,  
Omni mihi constanti cognite, LANE, fide?  
Nonné animum flectunt doctæ, tua gaudia, Musæ,  
Ex quarum nitido pectora fonte rigas?  
Nec vetat à fidis longè discedere amicus,  
Qui nexu firmo pectora jungit, amor?  
Sed Deus omnipotens, rutilis qui præsidet astris,  
Te jubet ad patriæ tecta redire domus:  
Ac veluti quondam ventis jactatus Vlysses  
Fallacem voluit cernere Penelopen:  
Sicut & ad Trojam tentantes prælia Attriæ  
Optârunt patrios posse videre focos:  
Sic meritò flagras nunc tecta paterna videre,  
Cum sis Aoniæ nectare potus aquæ.

Tam

Tam mira natale solum dulcedine cunctos,  
*Quos solis cernunt lumina clara, trahit.*  
Numinis idcirco divini iussa capesse,  
Ad patriosque lares suscipe latus iter,  
Et succurre tuis recto moderamine legum:  
Dum tibi diva Themis munia magna dedit.  
Denique; (quippe vovent sinceram mentem Camænam)  
In thalamos veniat bella puella tuos:  
Oscula quæ roseis figat tibi mille labellis,  
Lacteolisque levet pectora fessa genis:  
Quæ tecum peragat pulchri certamen amoris,  
Atque; tibi multa gaudia prole creet.  
Sed nunc vade bonis avibus, jucunde sodalis,  
*Quò tua fata volunt, quò tua vota volunt.*

F. amoris ac debitæ observantiæ  
ergo

Georgius à Dachs Polsnitz cognominatus  
Eq. SiL.

---

**N**on solum ossa: at habent & Marchica rura medullas;  
(Firma vigent, & stant valida ossa vigente medulla,  
Quæ & nutrimento sat pingua cetera reddit  
Membra) hæc fecissent te pinguem, & firma dedissent  
Robora agendarum rerum, ceu pluribus. At Tu  
Non his contentus, quaris majora, medullas  
Nempe ipsas valide quæ firmant, utpote guttas  
Sanguineas, à quæis desumunt cuncta vigorem  
Corporis, affatim quæis Tellus Silesica abundat.  
Ito quærendo felix atque; imbibe massam hanc  
Sanguineam, & vivent tua corpora salva, Reique;  
icæ Aquæ ditis, Sanctissima membra vigebunt.

Contributori & Commensali  
suo scribebat,

Christophorus à Reichenbach Eques Silesius,



Qvis mihi te? quò te? dulcissime JANE, quis? aut quid?  
Præproperis celerat surripuisse rotis?  
Mens fuit incapta bene consuetudinis usum,  
Continuare diu, spes quoque posse fuit.  
Nunc sed abis, tecumque rapis simul & memorata,  
Et sperata diu, te mihi quando rapis.  
Siste gradum precor, atque mane, satis ante viarum est,  
Nec quod adhuc possis, forte videre quid est,  
Quando Pierijs satis es versatus in oris,  
Grassatus celebri Palladis arte satis,  
Quando Phœbeus vertex, in vertice Phœbus  
Ipse tibi visus, visus & huic satis es,  
Quando visa tibi regio sat multa, satisque,  
Orbita diverso versaque in orbe satis.  
Inter & has multas multum, satis atque superque  
Urbes, sceptriferi fortis & aula Ducis,  
Quæ genium moresque tuos, studiumque fidemque  
Laudans, laudatum te dedit esse satis,  
Et notum fecit tùm, quando Notarius esses.  
Fecit, Casarei jus tribuitque fori.  
Et tribuet post hæc plus, ut solet, & potis, Enge,  
Quid cupis ulterius? quò cupis ulterius?  
Sed te, fata vocant, amor & patria, atque tuorum.  
Jam pridem cupiunt flammea vota sibi.  
Publica te poscit res privataque, postulat, atque  
Præmia quæ debent publica prida tibi.  
Ergò vade licet per me, nil te moror ultra,  
Quando proposita causa probata via est.  
Nil moror, at precor ut felix abeas, adeasque,  
Silesi prospera jugera grata soli.  
Interea nostri non immemor esto, nec unquam,  
Aut usquam fuero non memor ipse tui.

Sich

Sicquæ perennabunt amor & meus, & tuus, ô sic!

(Sic uoveo cupio, tuq̄) perennet amor.

Sic uti mens cepta bene consuetudinis usum.

Continuare fuit, spes quoq̄, posse manet.

Honoris ergo & boni ominis

Scripti

Christianus â Rottkirch & Sebnitz in

Heinerstorff Eques Silesius.

---

Qvod multis verbis alij tibi, JANE, uovebunt,  
Dum repetis patrios, JHOVA aspirante, penates:

Illud ego hoc uno versu pro more uovebo:

Saluus abi, Patriam decora, bene transige seclum.

Animo Verè amico scrib. Witeberga

Ernestus Von der Linde.

---

Qvod meditaris iter, patriamq̄, re-visere gaudes,  
JANE, ingens patrij fama futura soli,

Illud propositum felix, faustumq̄, precabor:

J bene, & æternum dives honore uige.

Amicitia ergo adponebam Wite-

berga, lubens meritoq̄.

Carolus Von der Linde.

---

QVando, IANE, tibi stat ergo fixum,  
Ad Lares patrios reuersionem.

Cœlo cum liquido parare; paucos

In te notus amor, sacricq̄ præles

S. ANCV Sfoederis, erogare versus.

D. 3.

Ex

Exposcit meritò. Sed, ecce, quidnam  
In primis voveam tibi? domumne  
Ad tuam columem profectioem?  
Adventumve ibi gratiosiore?  
An gratamq; bonamq; functionem?  
An lecti sociam tenellioem?  
An sortem domui benignioem?  
Ex his ius tibi, IANE, seligendi.  
Atqui ius mihi id omne comprecandi:  
Quod his factito quindecim phaleucis.

Laurentius Grammendorff Rupinensis  
March. Notarius Publ. Cesar.

---

**A**RETOA gentes, ARETOAq; turba Cytheris  
Ad gustum haud faciunt JANE polite tuum.  
Cypria sed Rivo quas lustrat DIVITE Nympha  
Ad gustum faciunt, JANE Polite, tuum.  
Hauriet inde tibi multas urna ubere guttas  
SORS animansq; foro te, geniumq; toro.  
Auguror: ad clarum liquidum te fronte locabit,  
Omnesq; arbitrij res dabit esse tui.  
Haud Tagus, haud Hermus tantum produxerit aurum  
Vatibus, ac DIVES RIVULUS iste tibi.  
Anxius ut totum tibi sese effundere gestit!  
Non moror, I, dites experiaris aquas.  
Oggerit & Conchas, spernas, mi JANE, carveto;  
Dulcis delictum has experiaris aquas;  
Hisce venusta Venus vehitur per salsa fluenti,  
Non moror, I, dulces experiaris aquas.

Idem  
Laurentius Grammendorff.

F. 107



FFallor? seu credam? quod dicis, abibo, revertar,  
Et repetam patriæ mœnia chara mea.  
Mirum! quod locus eximius non detinet, ecce  
Hæc tibi certatim MUSA THEMISq; favent.  
Offert æra THEMIS, promittit MUSA brabeia  
(Vt cœptum) studijs, officioq; tuo.  
Quidvis sperabat, causas te voce disertâ  
Gentis MARCHIACÆ dicere velle foro.  
Ob dotes animi dignantur amore, favore  
Primates patriæ lumina clara mea.  
Et quos non fucus, sed VIRTUS fecit amicos,  
Te proficiscentem tota corona gemit.  
Post abitum quibus hæc aditum celeberrima porrò  
DISTELMAIERII bibliotheca negat.  
Nil movet? herclè nihil: quia migras, FOVA secundet.  
Ad patriosq; lares ducitet incolumem.  
Patria dulce solum, natos dulcedine cunctos  
Instar magnetis sub sua tectâ trahit.  
Nascimur infantes patriæ, juvenesq; ob artes  
Externis, patriæ vidimus ære, focis.  
Cum doctrina viros tandem nos fecerit, æquum  
Dona animi patrijs ut referamus agris.  
JANE decus patriæ, rectè facis, arte juvare  
Quod patriam, externâ præ regione cupis.  
Tuq; tui causa qui non inglorius urbe  
Abfuit, ut par est, excipe honore virum.  
Crede, tibi poterit dare, REICHENBACHIA, semper  
Urbi consilium, civibus auxilium.

animo sincero, simul tamen  
lugubri scribebam  
Joannes VVedigen Colon-March. Not. P. Cæs.  
Gebaueræ.

BAVVERE Aonisin dicite sacris  
GAstrææ decus, & Dices ocelle,  
Melligo fluidæq; odora Suadæ;  
Vis Divos tibi comprecere viales  
Aequos, quò tibi iter tuum secudent,  
Non Te vis latet Enthea illa amoris  
Quâ dudum inviolata SANCVS arte  
Strinxit nostrum utriusq; corda, quacq;  
Quidvis obsequio tibi expetito  
Cedit spontè animus; Sed ipsa venæ  
A rescens scatebra haut mihi tibiq;  
Ex voto annuit: impolitus ecce hic  
Te nunc Hendecasyllabus moratur;  
Et quod non calamo liquor notavit  
Stricto tempore, abundantius facit mens,  
Numen propitium & tibi precatur,  
Ductu cuius inire non vereris  
Felici pede iter. Quid? huius auræ  
Adflatu, Syrii timebis æstum?  
Fallor! in patriâ anne iam moratur  
Dudum ipsam Caveam ecce dignioris  
Adplausus caveq; benè est: meretur  
Hoc virtus tua, & hoc amussitatum  
Pectus multiugâ eruditione,  
Cuius est SPREA testis & VIADRVS,  
Inunc, pro meritis cape ac honores,

Quos

Quos non patria, non amica fratrum  
Invident tibi vota, serio at heus Tu,  
Ipsos invideo tibi ipse Amicos  
Quos fovet patria ora, solus & quos  
Mulcebis lepto ore, honore, amore,  
Et quorum sine me hauries vicissim  
Blandis alloquiis honorem, amorem.

O mi suspicienda corcula: ô Poleni,  
Sacratæ Themidos acute Mystes;  
VVIRTHI ô nexibus implicate Divæ  
Ipsius Veneris, quid? ipsa vincit  
Constanti, Venerem, pudore, amore;  
OPITI ingenuæ, atq; HERINGE, & omnes  
Qui hæretis mihi in intimis medullis,  
En vobis veterem hinc honorem, amorem.  
Salvete ô mea corcula & valete,  
GBAVVERVMQVE meum fovete, amate:

*Αυτοχედ: faciebam*

Ioann. Gavvron Strelâ SiL:

*Illustrissimi Principis ac Domini*

GEORG-VVILHELMII

Marchionis Brandenburg.

& Ducis Prussie &c.

*Præceptor.*

ex arce Electorali Coloniae

ad Spream,

E

*Altera*



Altera JANE MANE clamat, mi JANE: sed instat  
 Et clamat regerens altera terra VENI.  
 Altera pro patria vera: Patria altera vera est,  
 Vtraq; grata ideò est; debet & esse ideò.  
 MARCHIA nam blande fovit genitricis ad instar,  
 Antè diu Aonio nectare, lacte, dape;  
 Plus dedit; hinc titulos meritos, auctos & honores,  
 Ipsa locum tribuit splendidiore loco.  
 Plurima promisit, dabit & promissa manenti  
 Omnia; nam potis est, & solet, usq; favet.  
 INDE putans vocat ipsa suum te, te cupit inde  
 Et clamat meritò Marchia JANE MANE:  
 SLESIA sed genuit, caros velut antè Parentes,  
 Quos tenet in gremio, vel tegit ipsa suo;  
 Hac eadem à cunis semper dilexit ad usq;  
 Delicias, cupidis pectore, mente, oculo:  
 Hac eadem semper vita melioris ad usus  
 Commoda consilijs, auxilijsq; tulit:  
 Plus dabit: hinc titulos magnos, auctos & honores  
 Ipsa locum tribuet splendidiore loco.  
 Omnia promisit, dabit & promissa petenti  
 Omnia: nam potis est; & solet, usq; favet.  
 INDE putans vocat ipsa suum te, te cupit inde  
 Et clamat meritò Slesia JANE VENI.  
 Quid facias? maneat? venias? venias, maneatne,  
 Dum dubitas versa sic ratione diu,  
 Vincit amor Patria tandem, rapit atq; manentem;  
 MARCHIA cara volens, non retinere valens  
 Ingemit, & dolet, & raptos suspirat amores,  
 O mi JANE meus, siccine abis? ubi nam es?

Te SPREA, te VIADER, turbato flumine nota,  
 Flumina, carminibus nobilitata tuis:  
 Deslent: & cygni noti inter flumina nota,  
 Et Nympha victa carmine sæpè tuo  
 FRANCIVADUS PINDUS: PHOEBUS: SOROR: atq; POETÆ.  
 Et rex, atq; sacra grex sacer EUNOMIÆ.  
 Omnia te deslent modo nostra, tua omnia qua sunt,  
 Et quibus omnia tu, tu modo tu maneat.  
 Sic ait, & dolet, & raptos suspirat amores,  
 Omni JANE meus, siccine abis? ubi naves?  
 SLESIA sed gaudens, renovatos urit amores,  
 Et mi JANE meus, sic ait, ergò venis?  
 Te VIADER noster, lato te flumine nota,  
 Flumina, carminibus nobilitanda tuis,  
 Exspectare diu, nota inter flumina cygni  
 Et cantanda tibi flumina numina q;  
 Te noster PINDUS: PHOEBUS: SOROR atq; POETÆ,  
 Et rex, atq; sacra grex sacer EUNOMIÆ:  
 Urbs Patria, ac urbes patria, patrij q; Dynasta,  
 Et plebs consiliis ponè iuvanda tuis:  
 Omnia quin cupiunt te nostra, tua omnia qua sunt  
 Et quibus omnia tu, tu modo tu venias,  
 Hinc sum laxa nimis renovatos propter amores  
 Omni IANE meus, sic mihi quando redis:  
 Plangit adhuc, dolet, & raptos sibi propter amores  
 Attamen ignoscit MARCHIACARA & ait.  
 SLESIA jure prior tamen est, potior q;, quod ultra est,  
 Illa suum sibi nunc, & benè sic habeat.  
 At tu IANE cupite meus, quia non potes ultra  
 Esse meus, posthac tu meus esse velis:  
 Et si dulce tibi quidquam mecum fuit, ejus  
 Dememinisse unquam, dememinisse velis.

*Redde vices : nam reddo vices quoq̄, dulcis amoris,  
Et quamvis abeas, mente tamen maneat :  
Atq̄, redito mihi, vel per te sapè, vel ad me  
Per tua, semper ego per mea cuncta tibi.  
Sic quoq̄, rapta tibi fuero licet, haud tibi rapta,  
Sic quoq̄, cum fueris, non mihi raptus eris ;  
ITO quò DEUS atq̄, dies vocat, alite dextrâ  
Et felix ut eas det Deus, atq̄, dies.  
Det simul omne bonum : dabit & Deus omne profectò,  
Nam bonus ipse, & agens es benè, quei malè sit ?  
O benè sit semper ! voveo sic semper, & unâ  
Ex animo mecum cuncta FIBINGENIUS.*

Scribente hæc ipso

*Valentino Fibingenio ab aureo  
monte Silesio SS. ministerij  
Candidato,*

*qui in honorem & amorem,  
quo ex merito prosequitur  
Gebavverum suum, eidem  
quoq̄, pensitat hoc quod se-  
quitur anagrama.*

JOANNES GEBAVVER

*Sive*

OVA VIR BENE AGENS.

**Q***ui benè agunt, malè non sperant, sperare nec etsi  
Fortè velint debent : nec benè qui malè agunt.*

*Primus*



Primus es in primis, hinc semper, JANE, secunda,

Spes te successus prosperioris habet,

Nec fallit, pro teste pia vita, studyq,

Conatus, spes, & pro meritis, meritum:

PERGIT O, sed pergis feliciter: omnia cedent

Prospiter: & res, & spes bene convenient.

Ne dubita viden? ut, prasago nomine, Phæbus

Ipse tibi facilis polliceatur idem.

Quando, gaude, & OVA BENE AGENS VIR, sic jubet, atq,

Vult anagramma tuum symbolon esse tuum hoc

Quod sit, & ut maneat, mereat post esse, probetq,

Atq, ratum faciat, qui facietq, Deus:

Hic quoq, sic voveo, mecumq, precaris, ut hæc te

Spes vehat in patriam res beet in patriâ.

---

Hinc migras patrios, IAN-GEBAVVERE, penates  
Et Slesû repetis mellea Tempe soli,

Meq, rogas carmen, nostrum quod possit amorem

Testari, faustum quodq, precetur iter.

Non nescis, mi IANE, mea cantamina Musa,

Ac quàm versificâ nullus in arte cluam.

Insuper hoc scis, quod facilem me prabeam amicis

Semper, & illorum non secus atq, meis

Consultum cupiam rebus. Tibi IANÊ negarim

Quicquam, præ reliquis quem mihi spondet amor?

Et proprium spondet, de multis ambigo, de te

Audeo spe certâ dicere, firmus erit.

O mea Phæbeum clararet carmina nomen,

Nostra tua Musa Musa referret opes,

Verfibus ex nostris non nemo sciret, amorem

Inter nos unum perpetuanter agi.

E 2

Verum



*Verùm quod mihi desit, idem tibi suppetit, ultrò  
In faciles numeros Enthea Musa ruit.  
Ergò fac nostrum per te sciat omnis amorem,  
Ut tibi sit felix ipse precabor iter.*

Petrus Lothus VVerdero-  
Marchicus, Cantor Ni-  
colaitanus apud Be-  
rolinenses.

---

**Q**Uò te, I A N E, pedes, quò te mens ducit euntem?  
Hinc tibi quid patrios suasit adire lares?  
Non magis arrisit B E R L I N V M? nonne penares  
D I S T E L M E I E R I I collibuerè tibi?  
Num quæso unanimes, virtus quos junxit, amicos;  
Tot Mæcænates deseruisse placet?  
Annuerem, tua certa nisi & mihi cognita mentis,  
Aut tua qua splendes Penelopeia fides.  
In patriam tendis revocatus; jure vocanti  
Obsequeris patriæ, causaq; justa subest:  
Natus enim es patriæ; patriæ studeasq; salutis,  
Deserere est patriam maxima Relligio.  
Perge igitur; tibi monstrèt iter gens flammæ cœli:  
Det Deus ex voto prospera cuncta cadant.

*Georgius VValterus Berlino-Co-  
loniensis, Schola Patriæ  
Collega.*

---

**C**UM G B A V V E R E tuum V I A D R I Schola publica vidit  
Fervere doctrinæ pectus amore pio,  
Cum SPRE A maturos doctrinæ te edere fructus  
Conspexit, trepidis & dare jura reis:

*Vidit*

Vidit, & invidit peregrinis Patria terris  
Ingenij largas, quæcis cluis altus, opes:  
Teq̄ suum p̄scit civem, tibi debita laudem,  
Pramia proventu divite grata parat.  
I, ne Tu cessa quoq̄, stringere honoris aristas  
Quas offert patrio m̄sis opima solo.  
Ornamentq̄, orna meritis pro talibus: ecquid  
Plura cupis qua det patria? plura; quid hoc?  
Pulchranè: ? sed taceo, scis votum ventipotentis  
Quod dederit quondam pronaba Diva Deo.

In aulâ Septemviri Brandenbur-  
gici, Coloniae ad Suevum,  
amico tanquam fratri  
scribebam

Elias Puhelmayr.

---

**I**Tobonis avibus Themidos fatiate liquore,  
Exspectant nam te lausq̄ decusq̄ domi.  
Ito viris promas collectas pectore dotes,  
Et nostram implebis spemq̄, precesq̄ virum.  
Ito, Deus jubeat seros te stare per annos,  
Hoc est in votis, ITO, VALETO, meis.

Witebergæ scribebam.

Laurentius Scholtzius Vratisla-  
viensis Silesius, Medicinæ  
Candidatus.

---

**E**T tu candide sinibus GEBAVVER  
Tandem Marchiacis abire pergis?

Sic.

Sicne linqvere despicias sodales ?  
Sed te fata vocant, vocant amici,  
Sit felix igitur recessus, & te  
Servet cuncta regens Deus potenter,  
I, nam fata jubent, rogant amici,  
I, nam Silesiæ vocant puella,  
Id dotes animi tui merentur :  
*Tendas auspicio domum benigno.*

Amico carissimo, certissimo  
*Georgius Crusius Coloniensis*  
*Marchicus.*

---

---

JOANNES GEBAVVER

*εν αναγραμματισμῳ*

NÆ GENIO LIBERAS.

**G**BAVVER, vult genium pingere qui tuum,  
Nec fretus satis est viribus ingeni,  
Ceratis tumidum nititur is fretum  
Penni transgredier, numine PALLADIS  
Munitus, SOPHIAE sic penetralia,  
Ad templum & THEMIDOS legiferæ ruis !  
Pingam [ si potero ] *næ genio uberas,*  
Quem dum vis aliis prodere; carmina  
Aspirante tibi scribis APOLLINE,  
Vates VIRGILIVS NASOq; qualia  
Mirantur, nova quæ posteritas leget.  
O dudum meritis præmia frontium

Doctarum

Doctarum, Patriæ fidus amabile!  
PHOEBI perge bonustangere barbiton  
Sublimi feries vertice sidera.

Joannes Stephanus Strelensis Silesius  
SS. Theologia studiosus.

---

Sors peregrinatur mea, sed domuitio tandem,  
O veniat, studijs si qua futura meis.  
Hac erat illa Tui non ultima clausula voti,  
Si quoties Numen voce precarer idem:  
Scilicet & Scitum illud erat, quod Symbolon alter  
Dixerit esse Tuum, noverit esse Tuum,  
Si quoties sinceri animi, mentisq; fidelis  
Testamen vulgus more suo peteret,  
Cum Viadrina suos utrumq; Illustris alumnos  
Respiceret, cives quâlibet arte bonos:  
Cumq; Mathematici nobis clarissimi ad ades  
ORIGANI, hospitium, victus & unus erat,  
Sed nunc, ô Patria lumen, doctissime JANE,  
JANE mihi è socijs carior une meis:  
Sed nunc & postquam multos Te Arctoa per annos,  
Quo dignus, docto novit habere loco,  
Ex quo & Francivadi mihi pulpita clara lycæi  
Linquenda, atq; Tui copia nulla fuit:  
Me quoniam VVITEBERGA ad se, civemq; vocavit,  
Quæ caput & vera Relligionis apex:  
En peregrinanti facta est domuitio tandem,  
Nempè Tue sorti, quam jubet ire domum,  
Et Pater ille Deus, Patriæ & qui commoda spectant,  
Quæis ea sunt cura, quæ benè doctus habes,  
Ergò sospes abi, mihi dulcia rura saluta,  
Patria ubi, Elysi gloria magna soli:

F

Nec



*Nec puto me sine solus abis, videor mihi, quin &  
Mox sequar, à Musis si quoq; abire meis,  
Sic responsa dabunt: Nam & me revocabit alumnum,  
BRESLA suum, ó Patriam cernere dulce meam.  
Quod superest hominum qui mentem & pectora jungit  
Nos iterum jungat, nos simul esse velit.*

Antiqui amoris & benevolentiae  
ergò, ex almâ Leucoteâ Berol  
linum mittebam.

*Godefridus V Wagner Vratisl. SiL,  
S.S. Théologiae Studiosus.*

---

**I**ANE, Iovis stellâ, atq; bonis genitoribus orte,  
Carpe viam, (nimum diu abes) reditumq; propinquis  
Pollicitus, tandem redi, & adfulgere paterno  
Non magè differ agro: speratam sed citò lucem  
Redde, Etenim, desiderio mirè icta, fidelis  
Patria te quærit, mater velut anxia natum  
Cunctantem haud cessat votis precibusq; vocare.  
Sat tua Pegaseo labra sunt imbuta liquore,  
Clarorumq; hominum satis es stipatus amore,  
Virtutis nota quæ non ima, nec infima laus est.  
**DISTELMEIER** O quid majus Marchica tellus  
Possidet, aut quemnam magis omnis suspicit ordo?  
Te tamen ille sibi fidum delegit amicum,  
Atq; tua in multis non infeliciter usus  
Arte fuit, studiumq; fidemq; expertus abundè est.  
Concilio patrum, quo nostra Academia claret,  
Sanctior haud toto est, nec dodior orbe Senatus:  
Ingenij tamen ob dotes tibi sponte favorem  
Obrulit, & Slesiam repetenti encomia laudum

Attribuit

Attribuit, cultoq; bonum te carmine civem  
Prædicat, ac patriæ firmum columen fore spondet.  
Quin & Sceptrigeri nunc multi in sede Dynastæ  
Te, quod vita fuit virtuti consona, mores  
Ingenui, sermo prudens, & cuncta decora,  
Plangunt, ac plures tecum optant condere soles.  
Aequa igitur cum fortuna aspiraverit ausis,  
Digna q; contigerit studiorum præmia apisci:  
Quis patriæ invideat tua dona diutiùs, aut quis  
Te prohibere ausit fessis succurrere rebus,  
Nutantemq; statum juris fulcire columnis?  
Suadebunt potiùs reditum, quicumq; pium, atq;  
Laudandum statuunt patriæ inservire laborem;  
Quiq; sciunt, benè quod versatus in arte Themistis,  
Ritè tueri æquum, sed iniqua fugare potes sis.  
Ito ergò, atq; aliis, eadem quos cura fatigat,  
Te jungens Slesiz tandem, tot quæ obruta fatis,  
Otia fac grata & longa, ac feliciter ævum  
Transige, nec Viadri Musarum esto immemor unquam.

*Observantiz & amoris ergò scribebat  
Georgius Zeutschnerus Glacensis S.L. Theol. & Phil. Stud.*

---

**O**MNINò verum est; consona consonis  
Agglutinari: pessima pessima  
Desiderare, ut & decora  
Qualibet optima contra amare  
OMNINò verum est. Vita, fides tua,  
Culpanda nunquam, Justitia & favor  
Fecere Te notum novena  
Dotibus ingenij cohorti,  
Cultu verendi, Pierij Chori,  
Junxere, Temet moribus huic tuis.

*O. Corda*



O cordanitu comparata &  
 Gestibus! ó teneros favores!  
 Hoc non sat est, sed splendida Marchicæ  
 Virtus Columnæ, culti & Apollinis  
 Chari nepotis Te Chori hujus  
 Inseruit teneris maniplis.  
 O clara dona! ó splendida! qua Tibi  
 Musæ dederunt, pignora mutui  
 Favoris, OMNINò decora  
 Sunt, adamandaq; sunt amæna  
 His usa multum est Marchica terra Sed  
 stans Jova in alto sedis Olympica  
 (Vidit relapsas Slesicas res)  
 Mercurio hac dedit ore jussa:  
 Relinquat OMNINò hac loca frigida  
 GEB AVVER, intret fervida; mænia  
 Relapsa restauret. Beatus  
 Ergò jubente Deo hinc abibis.  
 Nam fata rectè mitia Te advocant,  
 Fata & viai mitia devia  
 Tesqua amoventes cælitus Te  
 Restituent Laribus paternis.  
 OMNINò tabescant lachrimis agri A-  
 mittunt columnam: Slesica mænia  
 OMNINò gaudijs fruantur;  
 Arripiunt validam Columnam!  
 OMNINò dilectum excipite hospitem  
 Ambabus ulnis divitis incola  
 Rivi, sereno exite vultu,  
 Excipite hunc tenera puella.  
 OMNINò verum est: cœpta Deum tua  
 Rectum, & puellas sic reduci Tibi  
 Fautum ire, ut & Deum supremum  
 Incluta cœpta tua ire rectum

Omni

OMNINO verum est. Prosper abis tuos  
Gressus secundabit Deus, undiq; &  
Te cinctum olympicâ catervâ  
Restituet Laribus paternis.

Observantia ergo

Francofurti scrib.

Paulus Nisselhus Glac, Sil. Med. Stud.

QUIS tam pectore ferreo  
Aut fibris adamantinis  
Nexibus rigentis  
Nutrit; ut oculis  
Siccis Aonias queat  
Te nostri VIADRI plagas  
Hâcce deserentem  
Cernere luce,  
GEBAVVERE? cui farvet  
Divâ Astræa, cui suum  
Attica & Latina  
Pallas amorem  
Inspira vit, & aureâ  
Quem conspexit ab arbore  
Ex sacro bibentem  
Flumine Phæbus.  
Hâ quid commemorem? Chelys  
Nostris de manibus ferè  
Excidit, videndo  
Ora recentis  
Cerà pallida næ magis,  
Cujus? Doridos Oderam  
Hancce quam tuetur  
Numine dio.  
Quot rores lacrimantium  
Gemmanteis jacit imbrium  
Ex suis ocellis  
Largiter? Immo

Tristi emissculant fibrâ  
Vi suspiria non levi  
Nobilis Lycei  
Corcula bina  
Schofserus & Origanus;  
Callis fiderei hic sciens;  
Lucida ille Peuhûs  
Gemmula; digna  
Ambo carminibus meis  
Certè materies, fera  
Dum severioris  
Dextera Clothûs  
Vitæ languidulas meæ  
Tramas ruperit, Omnibus  
Nempe, queis faventi  
Concomitatus  
Aurâ, in notitia abditum  
Fluxisti gremium, dolent  
Derelictionem  
Mastiter istam.  
Dolent; non re-vocant: vocant  
Summum in vota tamen sua  
Numen, ut micantis  
Nona poli sit  
Felix porta tibi, precor  
Idem atq; ipse. Preces Deus  
Plurimum calenteis  
Spernere nescit.  
Justus Grifius Turingus Φιλιατρός

FRANCFURTUM jubar urbium; quod illa  
Triformis Charitum corona celsis  
Insertat nitidi poli nitelis.  
Quæ Circe, rogo, quis strabus Sophillus  
Et Harpia minax ocellulari  
Umigant tua mœstitate vulta?  
Cur melismate melleo remoto  
Sonant triste Melydrium Camœna!  
Annè quod Latia favissa Suada  
GEBAVVERUS, & elegantioris  
SCHLESIDIS suboles revisitare  
Patriæ paret ævi clara tecta?  
O casus meritissimò dolore  
Isto dignus! ô exedente taxo  
Cinge tempora! JANUS ille doctæ  
Quem DISTELMARIUS medulla turba  
Olim surripuit tuis alumnis,  
Sed jam reddidit, ille IANUS inquam  
Te rursus jubet & tuos valere.  
O urbs anxia; claritate tanta  
Et tanto orba viro; perenni vidus,  
Qui, quicquid Deus eruditionis  
Ejus fuderat in caput, benignè  
Rursus contulit omne luculenta  
In augmenta tuæ beatitatis.  
Qui quamvis Themidis refertus haustu  
Vsq; & usq; fuit; siticulosus  
Vsq; & usq; tamen novo petivit  
Immergi penitè atq; inebriari,  
Quem vèctant latices tui, liquore  
Qui tales facit exprimitq; versus

Non.

Non quales ego sapè Bloviusq̄,  
Sed quos scribere vellet aut PELARGUS  
Aut MEIBOMIUS, aut celebris avi  
Floridissima fama TAUBEMANNUS.  
At nunc abripit ille cuncta secum  
Ad Silesiacos, tibi perennem  
Quæ lucem potuere fœnerare.  
O sortem miseram! Notis ferenda  
Quis nunc vela dabit? quis ad gubernal  
Consistens ratis orsa prosperabit?  
Heu valde metuo, voraciores  
Ne Symplegades aut vorax charybdis  
In illam mala damna machinentur,  
Tu verò pietatis invidenda  
Officina venusta FRANCOFURTUM,  
Euntem, rogo, qui tuos colonos  
Tanto fovit amoris igne, rursus  
Fausrà prosequitur precatione.  
Phœbum sollicita, madentiores  
Vt nubes radijs penetret, & se  
Cœli subtrahat asperis tenebris,  
Ne quis imber cum molestet, umbra  
Ne pedes celerissimos retardet.  
Sic absens etiam tibi dicata  
GEBAVVERUS amare membra perget.  
Sicut tuas calami vigore nunquam  
Cessabit cumulare dignitates.

Commensali suo

Erneltus Stida Erphordensis.

---

**D**VM patriam repetis, Themidos decus undiq; florens  
IANE, amor ô animi delitiumq; mei:  
Me decet, immò decet meritò, tua cœpta precari  
Vt regat omniboni dextra sacrata DEI.

Hoc



Hoc tua nam VIRTUS meruit doctrina, perenne  
Hoc meruit nostrum foedus amicitiae.  
Vade, vale ergo meum Cor; te Deus usq; gubernet:  
Vive, vire patriae, muneribusq; vige.

Fridericus Bilzner Neustädts. St. L. faciebam Virebergae.

Vireta, GEBAVVERE, Parnassi rosea,  
Amœnuliq; Musarum hortuli, Charitum  
Phœbiq; sedes, ac Eusebies viridaria,  
Satis superq; decantatum Vatibus,  
Magni illius DISTELMARI, (magni illius  
Viri, sacrati, quem & cordati Phœbicola  
Non absq; summis semper cantant elogijs  
Merito, merito virtus, virtus namq; hoc meret)  
Quod BIBLIOTHECA: res notissima, ut mea  
Vena hant, eam suis efferre laudibus.  
Mi GEBAVVERE, cunctis est notissimum  
Omnes, viridaria & vireta, & hortulos  
Labore Parnassi illius quam maximo,  
Et intricata viperis, & sentibus  
Delubricata, amaricata & vepribus  
Densis cacumina, entheatos scandere.  
Te, GEBAVVERE, Phœbus & decorula  
Ist hac trias Musarum, legifera & Themis  
Palatjs in ipsis viridarij  
Semper virentis, & cacuminibus sacri  
In monticelli collocarunt: cur rogo,  
Valedicere ipsi Phœbo & almis Musulis  
Animus? epulasne Musarum tu nauseas  
Gustare? vix credo est: animus longè est alijs.  
Nam proximo qui non est ufui suo,  
Sed semper hæret in speculationibus,  
Omnino non videtur esse: Tu miseris

Clientulis



Clientulis Patronus, litium cupis  
Strophas inextricabiles forensium,  
Authenticis (fas!) explicare legibus.  
Valedicere hoc non est Phœbo vel Musulis,  
Purgare Parnassum magis sed sentibus  
Et viperis; nefas & fas distinguere.  
Mi GEBAVVERE, ergò felicioribus  
Pergas avibus, valedic URSELLIS, & mihi  
Fave, meisq; Musis. aternùm vale.

Vitebergæ tornabam subito

Christianus Framius Berlinensis March.

---

**O**Mnia molitur mercator & omnia tentat,  
Di-vite quò cornu rem struat arte catà.  
Rem dico; cui flamma nocet, quam flumina perdunt,  
Quam manus hostilis corde feroce rapit:  
Hæc fluxa. Ast animo melior sententia fluxit  
JANE, Tibi, Sophia & magne Themistos amor.  
EUNOMIES donis audis opulescere, donis,  
Quæ dare pessum hostis non valet, ignis, aqua,  
Donis, quæ servant homines post funera vivos,  
Quæq; vetant humili hos delituisse loco.  
His frueri ergò bonis & leta mente triumphâ,  
His frueri & patriæ per-vigil immorere:  
J patriam adiutum felix, ac corde receptum  
Dilige, qui te ut voto, corpore sic sequitur.

Georgius Ottho Neufld. Si L. honoris & boni  
ominis ergò scrib. Vitebergæ.

---

**F**Oeneral. a terminata sunt;  
Quis tu Marchice, debitor resolves  
Nomen Slesiaci omne Creditori;  
Iusto sænore dùm, puta, repones  
Sat. dùm Tibi Creditum retentum,  
Quod locaverat alma sænori olim  
Reichenbachia, nuncq; Te reposit

G

Integram



Integrum : hoc ita redde fœneratò.

GEBAVVERUM volo : quem sibi Ipse Phœbus  
Produxit, Themis indè & ipsa Suada  
Eduxere; ita, chariornè Phœbo  
An Suada, Themidivè, prorsus ipse  
Ignorem : tamen hoc scio, sua Istum  
REICHENBACHIAE ab omnibus dicatum  
Jam dudum. Patria ò beata tali  
Usurà! Meritoq; nuncupari  
REICHENBACHIA posset, eì quotannis  
Si tantum afflueret subindè fœnus;  
Verè, nomine req; dives ipsa.

Quam dùm, JANE, Tibi re-visere est mens.

Non nefas, ad iter viaticeris.

Sed qui Te, rogo, nos? nisi unicò isthòc :

I faustò pede, quo tui, BONE, indè

Quo virtus Tua, Te vocant; & istò,

Quod fers, fœnore fœnereris Ipse.

Et tibi & Patria perenne fœnus!

Abraham Paricius Olsnensis: SiL. Vitæberg. scribeb.

Εὐθέμιδες τέχνημα θεῶν, Φίλε, πατρίδι πωλεῖν

Νῦν ψυχῆς ἀρετὴν κ' ἀγλαὰ δῶρα ποθεῖς.

καὶ σ' ἀπελευσόμενον δ' ἐμὲ εὐφρηῆσαι ἀπαρτεῖς,

Πῶς ἐκ' εὐχοίμην, πάντα τ' ἀρεῖα βίη!

Ἀλλ' ὅτι πᾶσι πολλοῖς ἔτεροι ἔπεισ' εὐλογέεσσι,

Τῆτο τρισὶν δέομαι: ὈΡΝΙΘ' ὈΔΕΤΕ ΚΑΛῆ.

Viteberg. faciebam. Christophorus Bilizerus Neof. SiL.

A Rte bene instructus Themidis, nunc florida, fautor.

Ingenij patriæ addicere dona cupis,

Et quia jam migrans à me faustum exigis omen.

Quidni optem vitæ prospera quæq; tua?

Sed, quod amicorum multis pars cætera verbis

Voxit, ego tribus hoc: JTO BONIS AVIBUS.

Vertebat.

G. Z. G. S.

Sic

---

**S**ic est, *JANE*: Velut non ullus luminis usus  
 Quod parvus modij contegit usq; sinus;  
 Et veluti fulvi species non magna metalli,  
 Invida perpetuo quod tegit arca situ:  
 Sic quoq; Musarum decus est, & gloria parva,  
 Quæ usu posthabito nomen inane gerunt.  
 Nam quamvis lustrent per-centum lustra Sophorum,  
 Scribita diserta virum: nil valuisse queunt:  
 Ni simul à scribitis ad munia publica tendant,  
 Vix quisquam Musas has putat esse virum:  
 Ut nemo Crasum, verum mage dixerit Irum,  
 Omni qui negat has, quas tenet ipsus, opes.  
 Ergò *JANE* tuis de voto pectore cæptis  
 Gratulor, atq; ausis confero vota tuis:  
 Quod quia jura tenes, juris de fontibus ipsis  
 Ex petis exanimis explicuisse vias.  
 Perge: quod ibis iter felici sorte secundet,  
 Qui docuisse cupit jura verenda, Deus.  
 Carus eras *VIADRI* Musis, quoq; carus abibas  
*BERLINUM* Musis, carus & inde redis.  
 Non est quod metuas: his qui tua dona requirent  
 Carus eris, patrijs rarus & usq; focus.  
 Carus, crede mihi, noctesq; diesq; manebis;  
 Carior ex usu deinde vigebis orans.  
 Caspar. Albinus Reichenbach. Si L. amoris ergò.

---

**F**luctuat in dubio mentis sententia, amico  
 Annè ferat caro de voto pectore vota;  
 An taceat; si ferre cupit, dubitando requirit  
 Qualia ferre queat. Sed si tacuisse, profectò  
 Esse tacere nefas reputat. Verum tamen ipso  
 Ambiviva incedens fert vota, & vota ticescit.  
 Vota tacet, quæ fata vocant; fert vota secundæ  
 Quæ vitæ partem felici sorte secundam  
 Concernunt. Felix ut vitæ cursus in omni  
 Sit cursu: colat ut constanter jura, favente

Numinis.

Numinis auspicio legum studiosus, amator  
Juris sacrati, sacri quod robore verbi  
Calipotens sanxit; totis quoq; viribus ipse  
Servari sanctum mandat Rex, arbiter ævi:  
Omnibus ut rectum tribuat, noceat vè nec ulli,  
Atq; pium vivat, sibi quam hoc in tramite vitæ  
Proposuit, sibi quam tribuere γενεθλια, vitam.  
Ut subeat felix felici munere munus,  
Ad quod constanti vocitabitur ore clientum.  
Et rectè. Nam sic potis exeruisse per artes  
Ipse caput magnos inter virtutis alumnos:  
Sic potis est vitam quoq; vivere semper honestam,  
Et recti rivos rectè plantare secundo  
Sydere; perpetuam & laudis sibi querere famam:  
Quà vitæ cursu præsentis fortiter acti  
Et regnare solo, cæloq; vigere potesit.  
Tantum. Christe pijs feliciter annue votis.

Jacob. Lachnitus Monsterberg. Si L. facieb°

---

### Ad Eucomiastas meos.


**C**Armina quæ partim prece, partim spontè dedistis,  
Grata mihi, multis grata fuere modis.  
Ast hoc ingratum, nonnullos plura locutos  
De me, jure bono quàm potuere loqui.  
Non nihil agnosco tamen, ignoscoq; quod ultra;  
Quippe, quod à vero deficit, egit amor.  
Plus ex affectu mihi contribuistis, acuto  
Quàm videt in me qui lumine pollet homo.  
Quicquid id, accrescet successu temporis, in me  
Quod non est, quæram, laus mihi calcar erit.  
Interea rigidos nolim censere Catones  
Ungue fero, si non omnibus omne placet.  
Non placet omne mihi quæ laudes, heicce bonorum  
Quæ stylus in me tam candidus, omne placet.

Ioannes Gebavver.

F I N I S.



VD16  
PICH



17



AD  
*Literatissimum & Præstantissimum*  
 VIRUM,  
 DN.  
**IOANNEM**  
 GEBAVVERUM REICHEN-  
 BACHENSEM SILESIVM, I. V.  
 CANDIDATUM,  
 &  
 Sacræ Cæsar. Majestæt.  
*auctoritate*



(Ca 4604)

DN. M. N. 1800 mittl

